



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Compendium Summae seu Manualis Doct. Navarri

Ávila, Esteban de  
Azpilcueta, Martín de

Lvgdvni, 1609

Attritio.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41656**

verbo quàm factò, vel utroque modo facta ad decipiendum; & fraudem, quæ est eadem circumuentio mala; sed factò tantùm habitata; inestque dolo. ibidem.

Per astutiam verò, & eius ministros, peccat, qui contrahendo vel quasi contrahendo afficit alium damno notabili per commutationem rei minoris valoris, vel pretij minoris pro alia maioris, vel pretio maiori. cap. 23. num. 77.

ATTRITIO.

**A**TTREDITIO, si cognoscatur quòd non est contritio, nec sit propter Deum, sed propter infamiam, non sufficit ad delendum mortale, etiam cum Sacramento penitentia: cap. 1. num. 37. & 43. lit. A. & in Nouo num. 34. 42.

Sufficiet tamen aliqua attritio, quamuis non putetur contritio, dummodo putetur expresse, vel tacite sufficere cum Sacramento. num. 43. B. & in No. num. 42. vel putetur contritio, aut saltem non putetur non contritio. Ibidem.

Attritio propter solam penam inferni nõ sufficit ad delendum mortale etiam cum Sacramento. num. 43. D. & in No. num. 44. Vbi additur, intelligendum, *Si nullus actualis, vel virtualis amor Dei, vel odium peccati,*

D 3 quate

*quatensis est offensa Dei, illam comitetur.*

Attritio autem solo metu pœnæ, seu infamiae &c. non est mala. cap. 1. num. 11. & in No. num. 8. & 34.

C Pœnitentia de peccatis imperfecta, & debitis carens circumstantiis nuncupatur attritio; & non contritio. Quæ attritio est duplex: vna, quæ est dolor de peccatis, sed non est omninò propositum abstinendi. Altera, quando est dolor & propositum, sed non detestatur peccatum vt summum malum. n. 36. & No. n. 33.

D Attritio ergo quâdo est dolor, sed non includit omnino propositum abstinendi, non delet peccatum mortale etiam cum Sacramento: imò est peccatum cum ea accedere ad Sacramentum. cap. 1. n. 37. & in No. num. 34.

Attritio verò, quæ includit dolorem, & propositum abstinendi, quamuis non sit detestatio peccati tanquam summi mali, sufficit ad confessionem validam & formatam. num. 37. & in No. num. 35. Debet tamen reputari contritio, vel saltem quod non putetur non contritio. num. 39. & 43. lit. A. & in No. num. 37. 42.

E Attritio non fit contritio per Sacramentum. At tamen virtute Sacramenti attritus fit contritus. num. 41. & in No. num. 38.

Ad Baptismum non sufficit quiuis dolor  
dc

de peccatis: sed requiritur quòd sit propter Deum, & de peccato quatenus est offensa Dei. num. 39. & in No. num. 37. item cap. 11. num. 37.

A V A R I T I A.

A V A R I T I A est vitium inclinans ad inordinatum appetitum pecunie. Et opponitur liberalitati per defectum appetitus dandi, sicut è contrario prodigalitas opponitur eidem liberalitati per excessum appetitus dandi. cap. 23. num. 69.

Auaritiæ filiæ sunt Duritia cordis, Inquietudo mentis, Violentia, Fallacia, Periurium, Fraus, Proditio. num. 75. & No. 72.

Quando Auaritia opponitur tantum liberalitati, sine damno alterius, est de se venialis tantum: quando verò adiungitur ei aliqua circumstantia mortalis, ipsa quoque auaritia est mortalis. Eadem distinctio facienda est de prodigalitate. cap. 23. num. 75. & in No. num. 70. & 73.

Accumulare diuitias ad prouidendum futuræ necessitati maximè ad collocandum filios matrimonio, non est vitium, sed prudentia. Imò nec ad collocandum se in altiore[m] statum.